

The Electronic Manipulus florum  
www.manipulusflorum.com

Malicia i  
cum fonte primo

Habet malicia currum suum  
rotis quattuor consistentem: seuicia,  
impaciencia, audacia, impudencia.  
Valde etenim uelox est currus iste ad  
effundendum sanguinem qui nec  
innocencia sistitur, nec pacienza  
retardatur, nec timore frenatur,  
nec pudore inhibetur. Trahitur autem  
duobus pernicibus equis  
et ad omnem perniciem paratissimis,  
terrena potencia et seculi pompa.

Porro president duobus hiis equis aurige  
duo: timor et liuor; et timor quidem  
pompam, liuor potentiam agit.

Bernardus super Cantica.

Habet namque Malitia currum suum  
rotis quatuor consistentem: Saevitia,  
Impatientia, Audacia, Impudentia.  
Valde etenim velox est currus iste ad  
effundendum sanguinem, qui nec  
innocentia sistitur, nec patientia  
retardatur, nec timore frenatur,  
nec inhibetur pudore. Trahitur autem  
duobus admodum pernicibus equis,  
et ad omnem perniciem paratissimis,  
terrena Potentia et saeculari Pompa.  
Tunc namque quadriga ista Malitiae  
currit valde velociter, cum hinc quidem  
Potentiae effectus subest eius  
adimplendis malitiosis conatibus; inde  
plausus Pompei arridet perpetratis  
sceleribus, ut sermo impleatur qui  
scriptus est: QUONIAM LAUDATUR  
PECCATOR IN DESIDERIIS ANIMAE SUAE,  
ET INIQUUS BENEDICITUR; et iterum alia  
scriptura: HAEC EST, inquit, HORA  
VESTRA, ET POTESTAS TENEBRARUM.  
Porro praesident duobus equis aurigae  
duo, Tumor et Livor; et Tumor quidem  
Pompam, Livor vero Potentiam agit.

Bernardus Claraeuallensis, *Sermones*  
*super Cantica canticorum*, 39, 6 (SBO 2,  
J. Leclercq, C.H. Talbot, H.M. Rochais  
eds., pp.21-2, ll.26-31, 1-6).